



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 10. Voluntas propria mortificanda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

aperiatur, vena ferrò compunctionis: ut peccati, et si non omnis sensus, saltè consensus, effluat, & abjiciatur. Idem in sententiis.

Ipsa voluntas propria, est herba diaboli venenosa, suggestione venenata; & omnibus eâ utentibus pestifera. S. Anselmus lib. de similitudinibus c. 38.

Solus Deus, quidquid vult, debet velle propriâ voluntate; ita ut aliam, quam sequatur, non habeat supra se. Cum ergo vult homo aliquid per propriam voluntatem, Deo aufert quasi suam coronam. Sicut enim corona soli regi competit, sic propria voluntas soli Deo. Et sicut regem aliquem inhonoraret, qui suam coronam, qui suam coronam ei auferret; sic homo inhonorat Deum, qui aufert ei propriâ voluntatis privilegium, habendo, quod ille debet habere solum. Sed sicut propria voluntas Dei fons est, & origo totius boni; ita propria voluntas hominis totius est exordium mali. Idem lib. de similit. c. 8.

Apud inferos, si quis propriâ mortuus esset voluntati, in liberrimam voluntatem Dei; is utique non auferet. Et in cœlis si quis propriâ esset voluntatis, contra voluntatem Dei; is certe non beatus, sed miser, & infelix, foret. Bloisius Sacello animæ fidelis §. 5.

§. X.

Voluntas propria mortificanda, abneganda.

ECcredere de terra tua: Gen. 12. 1. Factum est in mysterium; quod omnino recedendum est à propria voluntate, & ab affectione suæ carnis, & suorum sensuum, qui vult perferri in divinis. S. Thom. Aqu. hic.

Abraham se aptat, ut litet filium Deo. Gen. 22. Similiter Jephthe Judic. 11. 31. 35. filiam suam. sed Deus isrlum ab Abrahamo renitentem cohibuit. Nil tale facit cum Jephthe; sed finit domum ejus tristi lamentatione replere. Jephthe fecit id, inconsultò Deò, Abraham ab eo justus. Felix ille, qui non propriâ voluntate, sed Dei imperiò, quodcumque opus aggreditur. Baeza t. 2. l. 6. c. 4. §. 1.

Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam. Matth. 16. 25. Perdit animam suam, secundum Christum, qui desideria ejus refranat, qui cupiditates ejus refecat, qui luxuriam ejus castigat; & in nullo prorsus facit voluntatem suam, sed voluntatem Dei. Origenes hom. 18. in Num.

Nullum sacrilegii crimen reperitur deterius, quam in voluntate semel oblato Deo reacipere potestatem: non debent sibi vivere, qui cor suum Deo dicarunt. S. Bernardus ep. ad quendam.

Non relinquit omnia, qui retinuit vel seipsum; imò verò nihil prodest, sine seipsò cœtera reliquisse: quandoquidem nullum aliud onus est gravius homini, quam homo ipse. Quis enim tyrannus crudelior, quæ favior potestas homini, quam hominis ipsius voluntas? B. Petrus Dam. l. de S. Benedicto.

Quid eis prodest, quod facultates suas abjiciunt, qui voluntates proprias non relinquant: cum sit longè præstantius, voluntatibus propriis renuntiare, quam rebus. S. Prosper Aquit. de vita contempt. l. 2. c. 17.

In sacrificiis antiquorum animalia mactabantur; in sacrificiis Christianorum occiduntur propriâ voluntates. Sim. Cass. l. 13. c. 11.

TITULUS. XIX.

VOLUPTAS.

§. I.

*Figura, Symbola.**Ex Veteri, & Novo.*

Super pectus tuum gradieris Gen. 3. 14. Homo voluptuarius super ventrem ingreditur, serpens ad voluptates perfruendas. S. Nilus librò asceticò.

Necquidquam mellis adolebitur in sacrificio Domino. Levit. 2. 11. Quid mel in Dei sacrificio non offertur, indicat: apud Deum nihil hujus Mundi, placere. S. Isidorus in Levit. 9. Idem ait V. Bedâ hic. Nusquam præceptum in Veteris Testamenti ceremoniis invenitur, ut mel sacrificiis miscetur. Per quod intelligitur: quia ijs, qui Deo vitæ suæ sacrificium offerunt, nullam carnalem Deus vult inesse dulcedinem: nihil in eis vivere, quod ad carnalem pertinet voluptatem. B. Petrus Dam. l. de S. Joanne. Mel sanè voluptatis indicium est, & suavitatis: semper enim voluptas mortificat; semper voluptas Deo non placet: quodcumque dulcedi-

nem habet, in Dei sacrificiis non offertur. S. Chrysost. hom. 2. in Marcum.

Mors in olla. 4. Reg. 4. 40. Mors est in olla deliciarum Mundi, quæ gulam, & Venerem provocant; ideoque varios morbos, ac mortem, præsentem, & æternam, accersunt. Cornelius hic.

Nè desideres de cibis ejus, in quo est panis mendacii. Prov. 23. 3. Disce, delicias, omnèsq; Mundi hujus voluptates, & pompas, non esse veraces, sed fallaces: mentiuntur se habere veritatem voluptatis; cum ejus inanem tantum contineant speciem, & umbram. Mox abeunt; & in dolore desinunt. Cornelius hic.

Sicut pisces capiuntur hamò &c. Ecclæ. 9. 12. Homines, qui fluctuans, & instabile, hujus vitæ pelagus sulcant, varias voluptatum illecebras consectantes, quasi carentes ratione pisciculi, malis retibus implicantur. Olympiodorus hic.

Musca